

*Dominus Laski auditus Sabato  
post Octavam Corporis Christi*

94

**F**irmissimis declaravit, quanto studio et cura Rex suus cupi-  
verit, semper abstinere ab effusione sanguinis Chri-  
stiani, & inire concordiam et pacem cum adversariis  
suis, sequutus in hoc consilium Maiestatis Regie  
Domini nostri, et quantas e diverso iniurias intul-  
erit illi Rex Ferdinandus, quas commemorare non  
est presentis temporis. Deinde dicit quod Rex su-  
us Rex Joannes miserit oratores suos insignes  
Posnamiam, qui illic existentes parati essent susci-  
pere omnes aquas pacis et concordie conditiones.  
altera vero pars difficilem se prestitit, in tractati-  
bus per eamque stetit, quo minus concordia &  
pax fuerit, subrepta, sed et inducias Posnamie  
condictas non observavit, eoque die, quo inducie  
quas inchoari debuerant validissime exercitus  
illius, quem instructissimum ad oppugnandam  
Budam, miserat, oppugnationem suam proce-  
quebatur. Uteunque autem Rex suus pluribus  
iniuriis & contumeliis fuerit affectus & laesus  
egit tamen apud Casarem Turcarum et consen-  
tiet in annales inducias, quibus durantibus

me

ne Maiestas Regia frustra nomen mediatoris assu-  
misse videatur, agere velit, quo Reges istos dissidentes  
in concordiam et pacem ducat, mittere velit ad Impe-  
ratorum Romanorum Nuntium suum, postulante  
ab illo persuadere velit Fratri suo Regi Ferdinando,  
ut alterius non prebeat occasionem turbandi res  
Christianas, & cum fama est de generali Concilio, ut  
ad illud Maiestas sua oratores suos mittere velit,  
et ibi agere ea, quae ad salutem et tranquillitatem  
Christianorum spectare videntur. Quamvis autem  
Rex suus non fuerit ad hoc ipsum Concilium voca-  
tus, quia tamen est membrum Christianitatis vellet  
mittere ad illud oratores suos, modo illis prebeat  
securus transitus, pro quo Maiestas Regia ope-  
ram suam facere velit, & quod ibi retineant locum  
et honorem suum.

Postremo dedit, quod Rex suus paratus est dimittere  
Castra in sequestrum ad manus Maiestatis Regiae  
quancumque Maiestas sua voluerit, & iam non expe-  
ctatis duobus mensibus. Et quod ipse Dominus Las-  
ki compromisit in Maiestatem suam, et illa co-  
gnoscat & definiat super differentia, quae suborta est  
inter illum & Capitaneos Regis Ferdinandi; ob litem  
quibus a securati esse feruntur, quod post lapsas  
trimestres inducias, cessatio armorum fieri debuit  
utrinque usque ad primam diem Mai et quancum-  
que Maiestas sua iusserit, vult declarare hoc  
negotium ut se habet.